



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Oratio I. Ad Sanctissimam Trinitatem. Sis Gratus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

Dum faciem & manus lavas.
Pie Pelicane Jesu Domine, me immun-
dum munda tuo sanguine. Amplius lava
me, & ab iniquitate mea munda me.

P R A X I S

Perfolvendi Preces matutinas.

*Circa primum quadrantem, si commo-
dum sit, visita Venerabile Sacramentum;
sin minus, ante aram domesticam, ardenti
corde in sequentes exurgit affectus.*

Oratio I.

*Ad Sanctissimam Trinitatem.
Sis Gratus.*

ADoro & veneror te, ô sanctissima Tri-
nitas, te glorifico, laudo, benedico, ac
totum me ante thronum Majestatis tue
humillimè prosterno. Tibi gratias ago, pro
plurimis, maximisq; beneficiis tuis, creati-
onis, conservationis, redemptionis, sancti-
ficationis, vocationis ad veram Ecclesiam,
atq; ad ordinem ac statum sacerdotalis dig-
nitatem; aliisque innumeris, & nominatim
pro hac nocte tam feliciter transacta. Quo-
teheu! mortalium millia etiam hac nocte
in infidelitate, hæresi, aut peccato lethali ad

Inferos rapta æternùm perierunt ? & cur non ego ? *Misericordias Domini in æternum cantabo. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*
 Psalm. 33.

ORATIO II.

Ad Deum Patrem.

Cor offer.

O Clementissime Pater ! Ego me Tibi cum corpore & anima, cum sensibus & potentiis totum offero, & ad omnem nutum ac beneplacitum tuum penitus configno. Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam : sive me ire jubes ad lucem, sive ad tenebras; sive ad quietem, sive ad labores; sive ad solatia, sive ad acerbitates; sive ad vitam, sive ad mortem; sive per aquam, sive per ignem; sive per infamiam, sive per bonam famam : Deus meus, volui; & legem tuam in medio cordis mei ita deseri; ut non nisi juxta eam, quies & motus, & omnia mea dispensentur. *Domine,*

quid me vis facere?

Act. 9.

ORA-